

854. Luminis attractio augetur minuiturque in ratione distantiarum corporum attrahentium ab ipso lumine. (*Exp.*)

855. Iamque ex adductis, quantum satis est, liquet, lumen non esse velut affectionem quan- dam corporis, neque fieri operative per pres- sionem; sed esse revera materiam per se, ex corporibus lucidis effluentem, forte vi attrac- tionis partium rapidissime expulsam & pro- motam.

856. Quum lumen, ex corporibus radiantibus exiens, quaquaversum diffundatur; radii non poterunt non magis semper magisque di- vergere.

857. Hinc non poterit non decrescere magis semper magisque luminis ipsius densitas: quod ipsum fieri in ratione reciproca duplicata di- stantiarum a puncto radiante, supra jam expe- rimentis demonstravimus. (35.)

De Lumine refra^tto, ubi de visu ejusque adminiculis.

858. Radii, ratione directionis motus ipso- rum, distinguuntur in *divergentes*, *convergentes* & *parallelos*.

859. Punctum, unde divergunt, vocatur *punc- tum divergentiae*: id, ubi colliguntur, *punc- tum convergentiae* dicitur.

860. Paralleli appellantur radii, licet non sint, qui a puncto radiante, admodum distan- te, procedunt, & ab obiecto non adeo magno excipiuntur.

861,